


DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
ACTIONE EXERCITORIA.



P R O O E M I U M.



*uantam utilitatem & com-
moditatem commercia affe-
rant generi humano, omni-
bus perspicuum est, quibus
negotia publica vel privata
aliquantulum cordi fuerē.*

P R O O E M I U M.

Deus enim non omnia omnibus Terræ partibus concessit, sed per Regiones dona sua distribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope societatem colerent, itaque mercaturam excitavit, ut quæ usquam nata sunt, iis communiter frui omnes possent: ad mutua vero hæc commercia præ magnam nobis assert facilitatem Mare, quod beneficus Deus ubique terrarum ita disposuit, ut mundum tanquam unam domum communiter inhabitantes, crebro nos invicem viseremus, & apud se nata quisque alteri communicans, vicissim comode acciperet res apud illum abundantes, ac sic exiguam tenens terre partem, ita tanquam, si teneret universam, frueretur ejus, quæ ubique sunt, bonis.

*Ex his satis apparet, usum maris &
jus*

P R O O E M I U M.

jus navigandi jure Naturæ & Gentium primario, recte inter res communes referri, nec ad unam nationem seu populum pertinere; quod magnus Grotius dilucide summisque Rationibus demonstravit in sua dissertatione de mari Libero.

Ut vero usus maris per navigationem commode exerceri possit, omni tempore Rectores Rerumpublicarum summo opere solliciti fuere, ut bonis Legibus circa constructionem, refectionem, & conservationem navium latis, illam faciliterent.

Testantur hæc diversæ leges a Rhodiis Nautico Populo latæ Florus Lib. 2. c. 7. Gellius Noct. Att. Lib. 7. c. 3. præsertim Lex Rhodia de jactu, quæ propter summam æquitatem ab ipsis Romanis quoque

P R O O E M I U M.

que fuit usurpata: Huc quoque pertinent diversæ aliæ, quibus iis, qui in navem exstruendam, instruendam, conservandam crediderunt, prospectum fuit. Quo tendit quoque Actio Exercitoria ob Utilitatem Publicam a Præatore introducta.

Hanc pro more in hac Academia recepto, cum Lauream Doctoralem ambire mihi sit licitum, breviter pertractare suscepi, sufficiatque mihi rem pro virili tetigisse.